



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Sai Martyre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

AUCTORE
SEVERO
PAULLO.

sisset. Hic nempe Pontifex sacerrimus, ceterique quos ea tulit ætas, Apostolici viri, pro veritate tuenda, adversus tantam impostorum colluviem, egregiam navarunt operam. Factumque hinc est, ut magistra veritate, hæretica improbitas, ac probitas Catholica, singulæ suis distinctæ characteribus, agnoscerentur, et illa quidem condemnaretur, hæc autem commendaretur.

§ IX. *Illustri coronatur martyrio Telesphorus, et annua ejus in Ecclesia celebratur festivitas.*

Martyrium
subit.

Tandem vero bonorum operum gloria clarissimus Pontifex, cum sedisset annos undecim, menses novem, triduo minus, felici cruore aspersus, ad cælestem patriam magno bonorum omnium gemitu, cum palma migravit martyrii anno Christi centesimo quinquagesimo quarto, a Nonis Januarii: sepultusque est in Vaticano, juxta corpus B. Petri Principis Apostolorum. Ejus porro cum illustris martyrii, tum pro Ecclesia impensi studii, Romanum Martyrologium ad quintum diem Januarii meminit in hunc modum: Romæ, S. Telesphori Papæ, qui sub Antonino Pio, post multos labores pro Christi confessione illustre

martyrium duxit. Sed et D. Irenæus de eodem: Gloriosissime (inquit) martyrium fecit. Tertullianus etiam, in poemate contra Marcionem, a se, cum esset junior, scripto, de eodem his versibus:

Post expleta sui qui lustris tempora, tradit

TELESPHORO: *excellens hic erat, Martyrque fidelis.*

17 Memoria autem ejus anniversaria non tantum in tabulis Ecclesiasticis Martyrologii Romani, ut jam vidimus, notata reperitur, sed et Clemens Octavus Pontifex Maximus, hoc nostro sæculo, videlicet anno Christi millesimo sexcentesimo secundo, ipsum Romano Breviario, a se reformato inseruit: Tametsi etiam Carmelitarum Ordo ante illa tempora ab antiquo ejus festivitatem annuam quinto die Januarii celebraverit; quo die ipsum in antiquis manuscriptis Psalteriis Carmelitarum annotatum vidimus. Quod proinde jure optimo pro stabilienda Carmelitana antiquitate notavit vir eruditus Joannes de Carthagina Ordinis S. Francisci in Homiliis suis super festo Commemorationis solemnibus B. Dei Genitricis MARIE de Monte Carmeli. Sed et ante ipsum Carolus Tapia supremi Concilii Regens, vir religiosissimus, pariterque doctissimus lib. de Relig. eundem S. Telesphorum Carmelitanæ adscribit Religioni.

Colitur 5 Ja-
nuarii.

a Græci cum colunt xxii Febr. ut patet ex Menæis.

DE S. SAI MARTYRE.

V JANUARI.

Menæa hunc mari mersum disticho encomiastico celebrant. Atibi altum de eo silentium.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS

**FELICE, SECUNDO, HONORIO, LUCIANO,
CANDIDO, JANUARIA, CÆLIFLORIA, JUCUNDO,
ACUTO, PETRO, MARCO,
SEVERO, ANASTASIA, TELESPHORO.**

V JANUARI.

Hi socii fortassis eorum fuere, de quibus vi Januarii agemus, qui Severi tempore incendio consumpti. Suntque aliqui cognomines, aut certe iidem utroque die relati. Horum nomina extant in Martyrologio S. Hieronymi: In Africa, Felicis, Secundi, Honorii, Luciani, Candidi, Januariæ, Cælifloriæ (an Cælii et Floriæ, vel Floræ?) Jocundi, Acuti, Petri, Marci, Severi, Anastasi ms. *Rhinow*. In Africa Felicis, Secundi, Luciani, Jocundi, Petri, Marci. *Notherus*: In Africa, Felicis, Secundi, Honorii, Luciani, Candidi, Januarii, Telesphori, Jocundi,

Anastasiæ. *Idem vi Januar.* In Syria S. Anastasiæ. *An eadem est quæ hic refertur? nullam in Syria Anastasiam alibi lego. Nisi sit Anastasius de quo agemus ix Januar. cum S. Juliano passus vi Januar. Usuardi editio Coloniensis anni 1521.* In Africa, Felicis, Secundi, Honoris, Luciani, Candidi, Januarii, ms. *S. Martini Tornaci*: Eodem die Sanctorum Honorii, Luciani, Jocundi, ms. *S. Mariæ Ultrajecti*: et Sanctorum Felicis et Amandi, ms. *S. Martini Treviris*: Felicis et Amandi.

DE SS. EUPREXIA VIDUA

ET THEOGNIA VIRGINE.

CIRCITER
AN. CHRIST.
CCLXXX.
V JANUARI.

Menis, sive Menæi, (oppidum est Siciliæ antiquissimum inter Ennam et Syracusam) Commemorationem hodie agi BB. Euprexiæ viduæ, et Theogniæ Virginis, matris et filia, ad quas S. Agrippinæ corpus Roma deportatum, Imperatoribus

Valeriano et Gallieno, testatur Octavianus Cajetanus Noster et Ferrarius in Generali catalogo Sanctorum S. Agrippinæ meminit Martyrologium Romanum xxiv Maji, et xxiii Junii.

DE